



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Magnum Matrimonij Sacramentum Casibus Practicis Expositum**

**Reutlinger, Ignaz**

**Augustæ Vindelicorum, 1716**

**VD18 10508716**

Casus Septennio inferiorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40059**



## SECTIO SECUNDA.

Quænam personæ sint habiles ad celebranda Sponsalia?

### QUÆSTIO PRIMA.

Quæ ætas requiratur ad Sponsalia?

### C A S U S

*Septennio inferiorum.*

Perillus sextum ætatis annum ante quatuor menses egressus, sed præcoci ingenij puer, Sponsalia contrahit cum Aleyde ipso manè illius diei, quo circa vesperam completura erat septennium.

Q. An tum ille, tum ista contrahere potuerint Sponsalia?

### S Y N O P S I S.

I. *Vt quis sit habilis ad contrahenda Sponsalia, ante omnia requiritur usus rationis.*

2. *Deinde*

72 Partis I. Sectio II. Quæ persona sint habiles ad Sponsalia ?

2. Deinde ut nullo labore impedimento, nec habeat defectum ætatis, nam contracturus Sponsalia debet implevisse septennium.
3. Quod aliqui ita rigorosè petunt, ut negent, validè Sponsalia contrahi ab ijs, qui sunt septennio inferiores, etsi perfectò usu rationis gaudeant.
4. Probabilius est, posse malitiã, & præmaturo usu rationis ætatem suppleri.
5. Respondetur ad argumenta contraria, & explicantur allegati textus Juris Canonici.
6. Tempus septennij nihilominus non frustra præfigitur à lure.
7. An septennium à lure requisitum debeat impleri Physicè, & Mathematicè ? Sententia aliquorum docet, sufficere, quòd impletur moraliter.
8. Alij requirunt septennium exactissimè Physicè, & Mathematicè completum.
9. Hæc Sententia est probabilior, patitur tamen aliquam limitationem in nimio rigore, ut dicamus, sufficere, ultimam diem esse inchoatam.
10. Textibus in contrarium allatis non probatur, quòd debeat compleri usque ad ultimum momentum,

I.



Generatim loquendo ad contrahenda Sponsalia illi duntaxat habiles sunt, inter quos aliquando licitè, & validè consistere potest Matrimonium, ut cum Tannero to. 4. disp. 8. dub. 2. n. 16 docet communis; vel juxta arg. c. 23. de Sponsal. omnes illi, & soli contrahere possunt Sponsalia, qui non speciatim vel à natura, vel à lege positiva prohibentur. Duabus igitur conditionibus affectam esse

oportet personam Sponsalia celebraturam: Prima est perfectus usus rationis, id est tantus, qui sufficit ad contrahendam culpam mortalem, ut alibi diximus in secunda conditione Sponsalium, quæ est, ut sint voluntaria, & deliberata; quam enim Bonac. q. 1. pu. 4. n. 4. Petrus de Ledesma q. 43. art. 2. de Matr. Rebellus p. 2. l. 4. de obligat. iustit. q. 5. n. 1. & alij requirant majorem usum rationis ad Sponsalia, quàm ad peccatum mortale, quia ad peccatum mortale sufficit consensus, & advertentia mali præsentis, ad Sponsalia

Sponsalia verò requiruntur cognitio futurorum, cum sint promissio futuri Matrimonij; major autem procul dubio usus rationis requiritur ad providentiam futurorum, quam ad consensum alicujus actus presentis, tamen à posita conclusione, quam defendit Palao, Dicastillo, Perez, & plurimi alij, recedendum non est, cum absque fundamento perfectior usus rationis exigatur, quia ex constitutione Juris ad contrahenda valide Sponsalia sufficit septimus annus ætatis completus *c. 4. & 5. De Despons. impub.* At verò malè hoc statueretur à Jure, & incautè præscriberetur septennij tempus, si major rationis usus requireretur, cum in tenera illa ætate, in qua vix dum incepit esse capax culpæ lethalis, puer nondum habere queat providentiam futurorum, qui neque præsentia factis advertit: nunquam igitur, vel certò rarissimè Sponsalia valide contraherentur à septennibus, atque ideo pessimè à jure assignaretur tempus septennij, quia in ea ætate vix ullus est, qui presentium providentiam habeat, quomodo ergo providentiam futurorum habere poterit? Cæterum vi primæ istius conditionis in specie à natura inhabiles sunt ad contrahenda Sponsalia, quotquot sunt incapaces rationis, & sufficientis deliberationis, ac libertatis, videlicet infantes, amentes, plenè ebrij &c.

2. Altera conditio est, ut per-

sona volens contrahere Sponsalia nullo laboret impedimento, vel dirimente, vel etiam impediante. Tannerus *l. c. Coninck disp. 21. n. 49.* quia nemo potest se obligare ad contrahendum Matrimonium, quod licetè contrahere non potest juxta *c. In malis 22. q. 4. cum impia sit promissio, quæ scelere adimpletur.* Vi talis impedimenti, ut alia præteream, ad Sponsalia à natura inhabiles sunt perpetuò impotentes ad usum Matrimonij, & probabilius etiam illi, qui simul laborant his tribus defectibus, ut sint cæci, surdi, & muti, quia moraliter vix videtur possibile, ut his defectibus gravatus intelligat requisita ad Matrimonium, & obligationes annexas, ut notat Pirh. *n. II. De Sponsal.* Verùm quæ ad impedimenta pertinent, commodiùs alibi tractabuntur. Hic loci una nobis consideranda est inhabilitas, quæ inducitur à Jure Canonico, positivè prohibente, ne quis Sponsalia contrahat ante ætatis annum septimum expletum, ante quem illa invalidè contrahuntur, prout habetur *c. Literas c. Accessit supra citatis, c. Ad dissolvendum. De Despons. impub. & c. unico eod. in 6.*

3. Hic verò duplex oritur dubium, cujus solutio pro casu nostro serviet. Primum est, an Jus Canonicum ita rigorosè definiat ætatem septennij, ut licet quis ante expletum septimum annum perfecto usu rationis potiatur, nihilominus inhabilis-

K

habilis-

habilis sit ad contrahenda validè Sponsalia, atque adeò malitia ætatem supplere nequeat? Alterum est, an ad valorem Sponsalium requiratur septennium Physicè, vel Mathematicè completum, an verò sufficiat completum moraliter?

Sponsalia ante septennium completum invalida esse, tæseti contrahentes perfecto usu rationis gaudeant, docent Palao *Disp. 1. de Sponsal. pu. 6. n. 8.* Cevallos *opin. commun. contra commun. q. 746. n. 6. & 9.* Hurtao. *Disp. 1. de Matr. difficult. 14. n. 61.* Vasq. *Præpos. & alij.* Ratio ipsorum est, quia in Jure Canonico expressè declaratur nulla Sponsalia celebrata ante septennium *c. Literas. c. Accessit. c. Ad dissolvendum. De Despons. impub.* Si ergo ante septennium possent valere, malitiâ ætatem supplente, frustra præscripsissent jura septennium, sed potiùs dicere debuissent absolutè, tunc valere, quando adest usus rationis, sive hoc fiat ante, sive post septennium.

4. Verùm dicendum, valere Sponsalia etiam ante expletum septennium, quando ante illius expletionem in contrahentibus adest plenus usus rationis, atque ita malitia ætatem supplet, quocumque tempore ante septennium hoc fiat. Ita Covarruv. in *L. 4. Decretal. p. 1. c. 2. n. 1.* Gonzal. in *c. 5. De Despons. impub. n. 4.* Wiestner *eod. tit. n. 14.* Wex *p. 5. tract. 2. De Sponsal. §. 3. n. 18.* Sanch. *L. 1. disp. 16. de Matr.*

Laym. *De Sponsal. c. 1. n. 16.* Dicastillo *disp. 1. de Matr. dub. 19. n. 252. & 258.* Illung *tr. 6. disp. 9. q. 1. a. 1. §. 3. n. 11.* Bassæus *V. Sponsalia. I. n. 2.* Perez, Coninck, Pontius, Becanus &c. Probatur. 1. paritate cum Matrimonio, ad quod Sponsalia sunt via, & dispositio. Potest in Matrimonio malitia supplere ætatem, ut illud contrahi possit validè ante tempus à Jure aliàs præstitutum; ergo hoc fieri potest etiam in Sponsalibus; nam, esto, non omnia conveniant Sponsalibus, quæ circa Matrimonium statuta sunt, siquidem istud est insolubile, econtra facili de causa solvi possunt Sponsalia: ista possunt contrahi clandestinè, non item Matrimonium &c. nihilominus quando utrobique est eadem ratio aliquid statuendi, præsumi non potest, quòd Jus sic circa unum, circa alterum verò aliter statuerit, quia ubi ratio eadem est, ibi esse debet eadem juris dispositio, ut ait Barbosa *Axiom. 197. n. 3.* & desumitur ex *L. Illud. ff. Ad Leg. Aquil.* Atqui nulla subest ratio, cur aliter discurrendum sit in Sponsalibus, quàm in Matrimonio, nam ideo in Matrimonio malitia supplet ætatem, quia potentia generandi, quam Jus requirit ad Matrimonium, solet aliquando adeste ante ætatem à Jure præscriptam: sed etiam usus rationis, quem Jus requirit ad Sponsalia, solet aliquando anticipare ætatem à Jure præ-

præscriptam : ergo in Sponsalibus quoque malitia potest supplere ætatem.

Probatur 2. Decisione Eugenij Papæ in *c. Iuvenis. De Sponsal.* ubi declaratur nullum Matrimonium contractum à juvene cum consobrina Puellæ, quam is antecederet necdum septennem sibi desponsaverat, atque sic decidendi rationem allegat Pontifex impedimentum publicæ honestatis : ergo supponit Sponsalia prius cum puella infra septennium contracta fuisse valida, & hoc, quia in ista puella videbatur supplere malitia ætatem, & adesse sufficiens usus rationis, ut posset deliberare in Sponsalia consentire, nam ex Sponsalibus invalidis nullum oritur impedimentum Justitiæ publicæ honestatis, ita cit. *c.* exponunt, & agnoscunt, quòd efficax inde deducatur argumentum, ex quo probetur, posse ætatem in Sponsalibus præmaturo iudicij, & rationis usu suppleri, Wagnereck, Alagona, Vivianus, Gonzalez; quia si invalida forent Sponsalia contracta ante septennium cum pleno usu rationis, frustra sanè mandasset Pontifex sequens cum consobrina Matrimonium rescindi: valida ergo fuerunt eo ipso, quòd rescindi istud debuerit.

5. Patet ex his, quòd argumenta Adversariorum parùm nos stringant; nam primum, quòd defumitur ex *c. Literas. De Despons. im-*

*pub.* prorsus ad rem non facit, si quidem ibi sermo non est de Sponsalibus initis cum puella necdum septenni, gaudente tamen pleno usu rationis, sed dicitur expressè, quendam perfectæ ætatis desponsasse sibi puellam in cunabulis, quòd est penitus extra nostram quæstionem, cum econtra præcitatum *c. Iuvenis. De Sponsal.* manifestè militet pro nobis, non verò pro adversarijs, ut ad oculum patet legenti Glossam; ne igitur textus Juris sibi contradicant, & secum invicem pugnent, dicendum, præscribi quidem à Jure septennium expletum ordinariè, quia ante istam ætatem nondum præsumitur adesse sufficiens usus rationis, non tamen præscribi hoc ita universaliter, ut in nullo casu ante septimum annum celebrare Sponsalia liceat, quando manifestum est, vel ostendi potest, contracturos gaudere pleno usu rationis.

6. Neque propterea frustra, aut impertinenter septennij tempus constitutum est, quia saltem servit istud statutum in dubio, nam in similibus contractibus tria sunt attendenda. 1. Quando vel utraque pars, vel alterutra ante, imò & post septennium non gaudet pleno usu rationis, certum est, Sponsalia contrahi tunc invalidè. 2. Si verò constat, ante hoc tempus adesse usum rationis, iterum certum est, quòd validè contrahantur, aut saltem probabilissimum, ut hucusque probatum est.

est, quia malitia ætatem supplet, unde hoc casu, cum constet de veritate, præsumptio de ætate debet cedere *c. Puberes. De Despons. impub.* 3. Denique, quando est dubium, an contrahentes habeant usum rationis, tunc judicandum est secundum juris dispositionem, ut nempe præsumatur, si septennium necdum expleverunt, usum rationis sufficientem nondum adesse. Dicastillo, Perez &c.

7. Progredimur nunc ad alteram quasi partem, an, quando non constat, adesse sufficientem usum rationis, malitia ætatem supplente, ut adeo complendum sit tempus septennij, illud compleri debeat Physicè, vel Mathematicè, an verò sufficiat, compleri moraliter, ita ut pro septenni habeatur, cui adhuc desunt septem, octo, vel decem, aut saltem unus, duo, tres dies?

Sufficere septennium moraliter impletum, adeoque validè Sponsalia contrahere, qui parùm distant à septennio, seu quibus aliquot solùm dies deficiunt, docet Petrus de Ledesma *q. 43 de Matr. n. 2. conclus. 1.* ubi ait, id cum D. Thoma tenere omnes Thomistas, Franc. Getius in *Summa Theol. Moral. Doctoris Angelici V. Sponsalia. q. 8* Sylvest. *V. Sponsalia. q. 2. dicto 2.* Vivaldus in *candelabro c. 2. de Sponsal. n. 4* ubi ait, valida esse, etsi deficiat una hebdomada, & aliquid amplius. Victoria in *Summa n. 284. de Matr.* Rebelus

*p. 2. De Oblig. just. L. 4. q. 5. n. 2.* ubi ait, non opus esse, ut ultimus septennij dies inchoatus sit, sed sufficere, etsi octo, decemve dies ad complendum septennium desint, Sotus & alij. Ratio istorum est, quia, quod parùm distat, nihil distare videtur, teste Aristotele. 2. *Physic. & à Jurisconsultis parùm, & nihil æquiparantur in Jure.*

8. Altera Sententia exigit dictos annos omnino Physicè, & Mathematicè completos, ita ut nec una quidem dies desideretur, quia, si vel unus deficiat, annus, qui ex mensibus, & diebus componitur, non est completus. Ita Sanch. *L. 1. disp. 16. n. 4.* Coninck *disp. 21. dub. 5 n. 51.* Perez *disp. cit. sect. 5.* Dicastillo, Pontius supra citati. Ratio præterea est, quia quando à Jure designatur aliquod tempus, debet id etiam ex præscripto Jurisita Physicè compleri, ut neque dies unica deficiat, cujus exemplum habemus in *c. Ex publico. De convers. conjugat.* ubi conceditur bimestre ad deliberationem de ingressu Religionis, & in Professione Religionis, ad quam Concilium Tridentinum *sess. 25. c. 15. de Regular.* exigit decimum sextum annum completum, currit hoc tempus à momento ad momentum, ita ut ultima quoque dies completa esse debeat, ut præter alios expressè docet Jacobus Pignatelli *tom. 9. consult. 37. n. 1.* ubi ait, irritam fore professionem, si fiat per aliquot ho-

ras ante exactum ætatis annum decimum sextum; qua de causa etiam ad Sponsalia Hurtadus, & Palao requirunt ætatem septennij usque adeò scrupulosè completam, ut neque unicum instans abesse possit.

9. Secundam istam Sententiam & ego probabiliorum judico cum allegatis Authoribus, cum quibus nihilominus censeo, eam limitandam esse quoad nimium rigorem Hurtadi, & Palao, ut nempe dicamus, sufficere in favorem Matrimonij, ultimam septennij diem esse inchoatam, etsi ea completa non sit. Moveor, quia non minùs favorabile est Matrimonium, quàm testamentum: sed ad testamentum, ad quod condendum in maribus requiritur annus decimus quartus completus, in fœminis duodecimus, sufficit, ultimam diem esse inchoatam, ut statuitur *L. Quæ ætate. ff. Qui testam. fac. poss.* ergo idem sufficiet in Sponsalibus, & hoc modo locum habere potest regula supra allata: quod patùm distat, nihil distare videtur.

10. Quæ adducuntur ex Concilio Tridentino, & *c. Ex publico. De convers. conjug.* non compellunt nos ad rigorem Hurtadi, & Palao, quia in primis dicto capitulo non probatur, quòd tempus septennij ad momentum usque debeat esse completum, nam tempus bimestre, quod ibi conceditur ad deliberan-

dum de ingressu Religionis, est arbitrarium, ita ut à iudice possit restringi, seu abbreviari, vel prorogari ex justa causa, ut docet Glossa *in cit. c. V. infra duorum*: cùm ergo nec ibi tempus bimestre Metaphysicè debeat esse completum, ex eo loco nihil probatur pro complendo tam scrupulosè septennio.

Ad locum Concilij Tridentini assignatur disparitas. Ut Professio valida sit, petit Concilium decimum sextum ætatis annum completum, & quidem usque ad momentum, idque decernit in favorem minoris ætatis, uti in simili statuitur de ætate minore in Jure Civili *L. 3. §. minorem. ff. De Minoribus*; ætas verò in nostra materia assignatur in favorem Matrimonij. Præterea contractus Sponsalitijs est multò inferior statu Religioso: igitur mirum non est, quòd pro Religione strictiùs requiratur terminus præscriptus. Denique statuit hoc Tridentinum Concilium etiam in favorem ipsius Religionis, ut ætas strictè habeatur completa, & hac ratione fiat exactiùs perfecta deliberatio, & iudicium Religiosi.

Cùm itaque Perillus in casu præsentate dicatur præcocis ingenij, & ex hoc probetur, malitiam prævenire ætatem, Aleydis verò ultimum septennij diem inchoaverit, & ille, & ista habiles sunt ad contrahenda Sponsalia.